Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8279
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Suscepimus deus misericordiam tuam in medio
templi tui sicut nomen tuum deus ita et laus
tua in fines terre iustitia plena est dextera tua
ps Magnus dns et laudabilis nimis in ci
uitate dei nostri in monte sancto eius · Gloria · Orō ·
Omnipotens sempiterne deus maiestatem tuam sup
plices exoramus: ut sicut unigenitus fili
us hodierna die carne nostre carnis substantia
in templo est presentatus: ita nos fac purificatis
mentibus tibi mereamur presentari · Lectio Malachie pphe ·
Hec dicit dns: Ecce ego mitto angelum meum
et preparabit viam ante faciem meam · Et statim
veniet ad templum suum dominator quem vos que
ritis · et angelus testamenti quem vos uultis ·
Ecce venit · dicit dns exercituum · Et quis poterit co
gitare diem aduentus eius? Et quis stabit ad
uidendum eum? ipse enim quasi ignis conflans · et
quasi herba fullonum · et sedebit conflans et mun
dans argentum · et purgabit filios leui · et colla
bit eos quasi aurum et quasi argentum · erunt do
mino offerentes sacrificia in iustitia · Et place
bit dno sacrificium iuda et iherusalem sicut dies seculi
et sicut antiqui · Dicit dns omnipotens · Gr · Su
scepimus deus misericordiam tuam in medio templi tui
secundum nomen tuum deus ita et laus tua in fines terre ·
℣ · Sicut audiuimus ita et uidimus in ciuitate dei nri ·